Lane Medical Library

DE PNEUMONIAE CURATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. MARTII A. MDCCCLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Henricus Struck

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

WALTHER, med. et chir. Dr.

PLAUTZ, med. et chir. Dr.

BLOCK, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS B. SCHLESINGER.

Lane Medical Library

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/depneumoniaecura0000henr

AMICO

CARISSIMO, DILECTISSIMO

Dr. C. GUIL. JUNGE

FRANCOFURTENSI ad/M.

CUI PROPTER MAGNAM ERGA ME BENEVOLENTIAM
MAXIMAS GRATIAS DEBEO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quaerenti mihi saepius, ex ingenti scientiae medicae thesauro quid eligerem, de quo, si satis exploratum haberem, dissererem, maxime praeferenda esse videbatur materia, ad quam prae ceteris omnibus scientiae medicae partibus praecipue incubuissem. Qua de causa, quum multas pneumoniae curandae rationes observassem, de iis scribere in animo mihi est.

Intelligens quidem, me argumenti gravitati haud parem esse, de quo tam multa tamque varia a viris praeclarissimis ipsis scripta sint, tamen propositi tenax bonoque animo opus meum aggredior.

Quod mihi autem ut assumerem, tantum abfuit, ut diligentius exquirerem, quid sit boni, quid mali in nonnullis hunc morbum curandi methodis, quae saepius adhibitae sunt hodieque adhibentur. —

Quodsi aut huic scribendi generi rerum cognitio mea non sufficiat, aut aliquid in hac disquisitione tractaverim, quod aures doctorum et scientiae eruditorum offendat, spero, fore ut lectores has studiorum meorum primitias idulgenter intueantur.

In sananda pneumonia genuina (complicationes omittere in animo mihi est) aliis in aliis morbi stadiis indicationibus satisfaciendum est, quarum tres praecipue separare licet:

1, congestionem solvendi et exsudationem impediendi;

2, Inflammationem tollendi et, ne amplior fiat, providendi;

3, resorptionem augendi et exscreandi materias exsudatas.

His ut satisfiat indicationibus, methodi complures et permulta remedia adhibita sunt, quorum singula contemplaturus sum; imprimis autem de sanguinis detractione disserere mihi proposui.

Nescio an ullum sit remedium, de quo longum per tempus, praecipue quod attinet ad morbum, quem tractabimus, tam variae ac inter se contrariae medicorum

sententiae fuerint, quam de sanguinis missione, praecipue autem de venaesectione.

Quam summis laudibus elatam et celebratam ab aliis, alii inutilem, noxiam, quin perniciosam, aut omnino aut nonnullis cum exceptionibus repudiarunt. Nostris temporibus multi adeo, qui ad scholam, quam vocamus Vindobonensem, pertinent, medico docto atque erudito haud dignum medicamen exprobrarunt. Alienum est a nobis, in causas inquirere, e quibus hae diversissimae medicorum opiniones et sententiae proficisci potuerint; sed ut paucis dicam: praecipue varia systemata et sententiae medicorum de vi ac natura morborum et inscitia effectuum venae sectionis in organismo, nec non genii epidemici morborum et endemici mutationes hanc inter medicos dissensionem protulerunt.

Sed quamquam viri docti in alienissima quaeque de venaesectionis aut utilitate aut vi noxia discedunt, in eo tamen omnes certe consentiunt, magnam ejus in organismi actiones esse vim, variam quidem pro copia sanguinis missi et pro constitutione corporis. Quo magis mirandum est, quod haud raro sanguinis mittendi portio a medicis sine ulla ratione et negligenter prae-

scribatur. Qui in aliorum medicaminum doses circumscribendas summam diligentiam conferentes, sanguinis mittendi quantitatem definiendo socordes esse solent.

Sed quum in universum sanguinis mittendi quantitatem, quae pro casu quoque necessaria sit vel admittenda, praedestinare non liceat, quanto potiori jure ista eorum consuetudo est rejicienda!

Hippocrates jam debito usus est judicio de venaesectione exsequenda, dicens, sanguinem pro inflammationis impetu esse detrahendum, gravioribus in casibus ad adynamiam incipientem. Postea multi alii leges ad praxin aptas dignasque imitatione constituerunt. Quae autem novissima demum aetate, quod attinet ad praxin, probatae et accuratius compositae sunt. Ut alios omittam, Nasse et Zimmermann imprimis magnum studium in hanc rem converterunt; quorum experimenta etiamsi nondum valuerint admodum ad praxin, nihilominus sperare licet, fore ut ex iis uberius institutis multa commoda profectura sint. —

Plane ad usum transferenda sunt experimenta, quae Marshall-Hall alia ratione instituit, ex quibus methodus nova profecta est, quam multi doctorum nostrae

aetatis, in quibus Pfeuffer, Schoenlein, Fuchs, magis minusve secuti sunt et cujus praestantiam probandi saepius mihi occasio fuit. Marshall-Hallii opinione sanguinis mittendi portio definienda est symptomatibus, quae inter ejus effluvium existunt; plerumque ad adynamiam incipientem usque sanguis est detrahendus. Qua in re autem providcamus necesse est, ut vena incidatur statu corporis erecto. Quod quum aegrotis plerumque molestum sit, imo propter debilitatem fieri non possit, illud certe praeceptum sequi debemus, ut aegrotus in lecto, corpore erecto supinaque facie, sedeat et sanguinis effluvium impediatur, simulac apparcant livor faciei, oscillatio, nausea, vertigo, sudor frigidus in fronte. Deinde cavendum est, ne vulnus venae sit nimis parvum. Haud sine periculo enim sanguis mittitur usque ad adynamiam incipientem, si nimis tarde effluit; ita enim multo plus sanguinis detrahitur, quam si celerius emanat et nimium quidem pro corporis viribus. Praeterea Marshall-Hall curam adhiberi jubet, ut aegroti pedes caleant, quod alioquin vires facile deficiant, priusquam sanguinis copia sufficiens detracta sit. Haud sine jure huic methodo objicere

licet, usu cognitum esse, multos homines animo jam linqui post aliquot sanguinis uncias effusas, propter commotionem, taedium aut anxietatem, quae operatione proferuntur. His autem multum sanguinis detrahi posse constat, si viribus collectis vena iterum secta est.

Paucos apud aegrotos usu evenit, ut, priusquam animus deficiat, nimium pro corporis viribus sanguinis detrahatur. Marshall-Hall certe comprobat, nunquam se illud esse expertum et ex iis, quae non solum experimentis, sed diuturna observatione cognita habet, de hoc argumento concludit, sanguinis quantitatem, methodo supra memorata missam, morbi conditiones sequi, quoniam symptomata gravitati aeque ac corporis viribus respondeant.

Experimenta Marshall-Hallii imitatione digna ab aliis repetita et comprobata sunt. Lawrence admodum favet eorum sententiis, qui magnum sanguinis pondus una detrahendum esse contendunt, diserte recusans frequentes venaesectiones, quibus pauxillum tantum mittatur, quin sanguinem effluere contendit, donec nulla prohibendi arte adhibita, fluere desinat. Nec minus Warry sententiam supra expositam profitetur. —

In Germania haec venam secandi methodus nondum a multis recepta est. Mihi quidem persuasum est, convalescentiae stadium multo minus extendi, neque adeo saepe valétudinem infirmam atque aegram tam longum per tempus relinqui post pneumonias, si pro sanguinis missionibus tam exiguis, quae ter per diem interdum repetantur, una largior fiat. Complures sanguinis missiones minoris ponderis corporis vires attenuant, minime autem morbus levior redditur, neque in melius commutatur subito, id quod effluxu uberiori fieri solet. Quocirca coacti sunt medici, aliquot post horas venaesectionem iterum saepiusque repetere, ita ut aegrotus paullatim magnam sanguinis copiam amittat, qua vires tantopere debilitantur, ut, si mortem non occumbit aegrotus, longo nonnisi tempore interjecto plane restitui possit.

Sanguinis quantitas mittenda in pneumonia vigente, ut prima adynamiae signa oriantur, admodum varia est. Juvenibus robusti corporis plerumque unciae 24—36 sunt detrahendae, feminis minus pondus, quam viris; homines laute viventes magis resistunt, quam invalidi, debiles, enervati. Qua ex re intelligimus, Britannos

maximam partem carne vescentes, si morbis inflammatoriis tentati sunt, multo majorem sanguinis quantitatem amittere posse, quam nos. In senibus magna adhibenda est providentia et pro venaesectione saepius sanguisugas substitui necesse est, quia collapsus virium obortus saepissime non tollitur, facileque iis accidit morbus, quem catarrhum suffocativum senum vocamus. Infantibus. quamquam multi permittunt, nunquam vena incidatur.

Ut credam, unamquamque pneumoniam curandam esse sanguinis missionibus, tantum abest, ut contendam, saepius occurrere nobis casus, in quibus non tantum non necessariae, certo non methodo supra laudata instituendae, sed etiam omnino noxiae maximeque perniciosae sint. Quod pertinet ad homines anguste miserequc vitam degentes et eos, qui alimentis tantummodo vegetabilibus vivunt; quin epidemiae existunt, in quibus status nervosus cum magno virium collapsu adeo praevalet a morbi inde exordiis, ut sanguinis detractiones omniaque quae debilitant medicamina adhibere non liceat, nisi maxima providentia. His in casibus

mutatio pulsus inter effluvium norma certa est quantitatis sanguinis mittendi.

Quod attinet ad tempus, quo sanguis detrahatur, de quo accurate definiendo diu multumque disputatum est, in eo certe consentiunt omnes, quam primum esse detrahendum. Docuit enim usus, multo minus sanguinis esse detrahendum, quum in stadio congestionis vena incidatur. Equidem nonnullis in casibus, quibus sanguis missus est in hoc stadio, expertus sum, congestionem post aliquot dies solutam aegrotosque plane sanatos esse.

Nonnulla jam dicam de venaesectionis repetitionibus: Medici, qui largas sanguinis missiones metuunt, loco earum crebriores adhibere solent et, quod horribile est dictu, tot fere quidem interdum, quot morbi dies fuerunt. Si convaluerunt aegroti, longo tempore interjecto, propter debilitatem inde profectam, nimirum iis persuasum est, extremo in vitae periculo illos fuisse, neque sanari potuisse, nisi venaesectionibus adhibitis. Verum si mortem occubuerunt, magnum venaesectionum numerum respicientes mirantur, quod nihilominus diem supremum obierint.

Marshall-Hall contendit, generatim sententiam

valere: sanguinis missiones sustineri, quamdiu necessariae sint et necessarias esse, quamdiu perferantur. Etiamsi concesserim, priorem sententiam omnino esse probandam, alteram tamen addubitaverim. Aegroti saepe, multo jam sanguine misso, profusionem exiguam vel etiam majorem pro temporis momento facile sustinent, aliquot post dies autem, febri remissa, confectionis virium signa oriuntur, quae haud facile auferri queunt. Mihi persuasum habeo, unam venaesectionem magnam et satis uberem multo magis valere, quam multas venaesectiones minoris ponderis, neque adeo periculosam esse, quam has. Nam una eaque larga venaesectione nervorum irritatio, quae cum pneumoniae primo stadio conjuncta est, melius tollitur collapsu subito exorto; vasa capillaria pulmonis, relaxatione inde facta, sanguinis meliorem motum et solutionem stagnationis proferunt. Praeterea sanguinis congestio ad pectus mitigatur, sanguis attenuatur et ad inflammationem minus aptus redditur, dum massa ejus in corpore minuitur. Ut paucis dicam: satis sanguinis mittitur ad inflammationem tollendam, satisque remanet ad resorptionem exsudatorum efficiendam.

Crebrioribus autem venaesectionibus non tollitur inflammatio, sed mitigatur tantum et crebrius recrudescendo exsudationes efficit multo uberiores, quam alio modo. Praeterea vires ad superandum stadium resorptionis desunt, exsudatis multo majoribus, quam si una eaque larga facta sit venaesectio. —

Quam sententiam Wardrop quoque secutus est, quod ex iis, quae sequuntur, verbis apparet:

„Ich habe beobachtet und auch von Collegen viel-
„fach bestätigen gehört, dass diejenigen Entzündungs-
„kranken auch am raschesten genesen, bei denen man
„reichlich und selten Blut entleert, während bei denen,
„die selbst eine geringe Blutmenge, aber durch öfter
„wiederholte kleinere Aderlässe verlieren, die Gene-
„sung nur langsam von Statten geht und häufig eine
„krankhafte Veränderung des ursprünglich afficirten Or-
„gans zurückbleibt.“

Pfeuffers eandem fere sententiam amplexus est, dicens: ad pneumoniae curationem bene instituendam maximi esse momenti, ut haec duo praesertim distinguamus stadia: prius, in quo magna nervorum irritatio

paucis cum exsudatis, alterum, in quo exsudata multa cum irritatione exigua existunt.

Si primo in stadio, post sanguinem uberrime missum, valetudo, quae in melius jam abierat, aliquot horis praeteritis rursus ingravescit, quam celerrime vena secanda est iterum, tertium raro tantum. Si autem inflammatio latius propagatur, hirudines tantum vel cucurbitulae sunt applicandae, quia sanguinis majore pondere detracto, nimis debilitatur organismus, quam ut stadium secundum perferat; hoc enim eo facilius sustinetur eoque minus funestum est, quo minus sanguinis in primo stadio est amissum, facillime si omnino non vena incisa, neque inflammatio latius pro pulmonum functione extensa est.

In stadio secundo venaesectio non amplius est adhibenda, subito enim prostratio omnium virium subsequitur et inanitionis symptomata eveniunt. Hirudinibus sanguinem minuere licet, quum, exsudato in partibus primum affectis jam liquefacto, congestio aut inflammatio permaneat. Haec quidem inflammatio ipsa permanens corpus defendit a virium collapsu, qui alias oriturus esset.

Aptum mihi videtur, hoc loco nonnulla explicare de stadio tractando, in quo sunt multa exsudata et irritatio.

Multis medicis persuasum est, pneumonias non plane sanari posse, nisi aegrotis remedia quaedam, quae vocantur expectorantia, dentur. Quae quam supervacanea sint, ex eo jam elucet, quod haud raro aegroti, nullis sputis exscreatis, curantur. Ea autem, quae exscreantur, e membrana bronchiorum mucosa solum oriuntur et quae in pulmonum cellulas aëriferas exsudata sunt, per bronchia e causis, a doctrina, quae physice dicitur, petitis, submoveri non possunt.

Permutationes eorum disquisitionibus anatomicis, nostro aevo institutis, satis comprobatae sunt. Superficies granosa, quae in pulmone dissecto invenitur, in stadio, quod hepatisationis rubrae vocatur, nascitur exsudatis, quibus vesiculae aëriferae impletae sunt. Grana singula liquore, qui emulsivus appellatur et qui constat ex epithelii cellulis in adipem commutatis, circumdata sunt. Postea grana quoque exsudata in pus vertuntur, quo item in adipem commutato, liquor emulsivus exoritur, qui vasis lymphaticis vel venis resorbetur.

E quibus sequitur:

1, Exsudata e vesiculis aëriferis per bronchia removeri non posse, quia juxta vel post ea aër non inveniatur;

2, ea solum via aufferri posse, qua posita sint;

3, remedia exspectorantia ergo nihil valere ad ea removenda.

Evenientibus autem indicationibus, in quarum numero hae sunt habendae: prostratio virium universa, contractionis bronchorum vis imminuta, nimia muci secretio in iis, tamen sunt adhibenda. His sub conditionibus, quae maxime pendent ex organismi debilitate, providendum est, ut, prima causa sublata, vires restituantur.

Pechier et Laennec ad sanandam pneumoniam tartari stibiati magnas doses adhibuerunt. Num hoc remedium praeter vim laxantem primitus vel specifice, ut ita dicam, ad resorptionem augendam valeat, in suspenso relinquam; sed pro explorato habendum est, multum id valere ad pneumonias sanandas et saepius quidem sine diarrhoea inducta. Constat autem, effectus

ejus eo esse majores, quo magis purget et emesin proferat. Quam sententiam secutus Schoenlein majores tartari stibiati doses adhibuit et breviore quidem tempore, quam Pechier. Qua methodo organismi inanitio totalis gignitur, cujus eventus eo major et celerior est, quo magis aegrotus curatione debilitatus erat.

Remedio per aliquot dies adhibito, haec symptomata, quae resorptionis exsudatorum sunt signa, existunt: Pulsus lentus, debilis, parvus redditur, febris remittit, partes membrorum extremae frigescunt, facies pallescit et collabitur. Qua de causa tartarus stibiatus una cum venaesectione remedium est praesens ad pneumoniam sanandam et multis in casibus, scilicet gravioribus, si causis quibusdam magnas sanguinis missiones adhibere non licet, venaesectiones iteratas supervacaneas reddit.

Sed nonnulla de hujus medicaminis usu adnotanda mihi videntur. Cum aegrotus alvum habet laxam, minime est adhibendum. Magnum quoque detrimentum inferri potest, si magnae doses diutius adhibentur; facile enim ulcera ventriculi oriuntur. Qua de re suadendum est, ut ineunte morbo majores doses adhibeantur (pro

vario symptomatum gradu inde a sex granis ad duodecim, aqua mucilaginosa soluta, per diem sumenda), sensim autem doses minuantur. — Similes effectus, quamvis minores, aliis certo salibus purgantibus proferuntur. Plerique autem medici tartarum stibiatum illis recte praeferunt propter vim emeticam, diureticam et diaphoreticam, e quibus resultat vis, quam exserit ad exsudata resorbenda.

Methodum Ritscheri, pneumoniam plumbo acetico cum opio curandi, praecipue Krüger-Hansen defendit, qui longum per tempus hoc usus est remedio et magnos inde eventus profectos esse affirmat. Renarrationes autem ejus de pneumonia hoc modo curata omnino carent argumentis e scientia desumtis, ita ut methodum ejus imitatione dignam habere non possimus. Sed quum plumbi praeparata in numero sint medicaminum, quae antiplastica vocantur et a multis eorum vis narcotica egregia affirmata sit, haud sine omni causa ejus praestantiam in pneumonia curanda laudare licuit. Medici cujusdam praeclari, quem propter magnam doctrinam maxime veneror, judicio plumbum aceticum in

sananda ea pneumonia, quae in phthisin pulmonum tuberculosam transire solet, haud raro permultum valuit.

Remedia narcotica, inter quae praecipue quidem opium, a medicis illustrissimis recte panacea nominatum, in pneumonia sicuti in morbis fere omnibus adhibere licet et in unoquoque quidem stadio conditiones incidere possunt, quibus narcotica adhibeantur necesse est. Rasori recto usus est judicio suadens, ut remediorum narcoticorum usus contra pulmonum inflammationes latius extendatur; sed rem non ab omni parte pensitavit. Retundere voluit stimulum inflammationis, sperans, uti ait, fore ut, eo hebefacto, morbus minuatur et subsistat. Unum proinde tantum inflammationis symptoma, nervorum irritationem et dolorem impugnavit. —

Usu cognitum est, inflammationes dolore valde augeri, quin eo provocari posse, nec minus autem, illo sublato, minui aut tolli. Saepe enim nobis occurrunt casus, in quibus e causis rheumaticis dolor vel neuralgia in loco defixa existit, ad quam mox tumor inflammatorius accedit, qui sine ullo alio medicamine narcoticis solis brevi tempore sanatur. Eadem ratione his reme-

diis externe applicatis rheumatismum articulorum acutum sanari, nec minus belladonna gastritidem chronicam, verisimile est. Rasorii consilio igitur nec rationes nec specimina desunt. Nonnulla remedia praesto nobis sunt, quae cordis praesertim actiones imminuunt, in quorum numero digitalis purpurea prae ceteris aliis est nominanda. Eo quidem modo ad pulmonum inflammationes sanandas valet, ut sanguinis impetum frangat et totius nervorum systematis irritationem minorem reddat, quod quidem plerumque, spatio complurium dierum interjecto, demum afficitur. — Urinae secretio, quod nonnulli maximi momenti habent, non augetur, priusquam cordis actio imminuta est, ita ut concludere liceat, diuresin non augeri, nisi antagonistice, ut ita dicam, sanguinis congestione ad corporis superficiem imminuta.

Itaque, quum digitalis medicina minime certa ac praesens sit in morbo tam gravi tamque acuto, in stadio congestionis et exsudationis alia magis efficacia ei subroganda sunt; neque adhibeatur, nisi quum exsudata copiosiora diutius remanent, aut quum in resorptionis stadio status erethicus praevaleat. — Generatim censuerim: remedia narcotica non adhiberi debere, nisi ad re-

movenda symptomata ex nervorum irritatione pendentia; his autem sub conditionibus illis omnino carere non possumus.

Adhibendi opii methodum unam etiam commemorari necesse est, dignam, quae latius cognita sit. Huxham primus illam adhiberi jussit post sanguinis missionem. Sydenham post quascunque evacuationes, ut post vomitum vel post remedia laxantia eam imperavit, nec non post venaesectionem magnam opii dosin dari suasit. Copia mihi facta est, magna hujus rationis commoda comprobandi et in pneumonia et in aliis morbis inflammatoriis. Venaesectionis effectus quasi producuntur, pectoris sublevatio inde exorta permanet, aegroto plerumque somnus placidus supervenit, sudor lenis emittitur, pulsus aequalis, parvus quidem, sed haud suppressus invenitur, quodque maximi est momenti, aegrotus longum per tempus se sublevatum sentit.

Eodem fere modo, quo narcotica ad sanandas pneumonias efficacia sunt, chloroformii inhalationes in hoc morbo curando vim suam exserunt. Quod remedium a Baumgaertner et Wucherer maxime com-

mendatum et laudatum, eo modo administratur, ut complures quotidie (4—6) inhalationes, sed non ad narcoticum effectum usque, fiant. Magna pulmonum hyperaemia oblata, aut magna parte pulmonum inflammata, venaesectionem faciendam esse jubent. Hujus methodi eventus sunt: remissio dyspnoeae et oppressionis pectoris, quae confestim sequuntur inhalationem. Tussis valde minuitur. Dolores pleuritici saepius inter inhalationem desinunt. Plerumque post aliquantum temporis (2—3 horas) recrudescunt, diuturniore autem hujus remedii usu omnino removentur. Sputa pneumonica, quae sunt glutinosa et rubiginosa, pituitosa et mucosa, sed rara fiunt, ita ut dicere liceat, pneumoniam sine sputorum criticorum exscreatione sanari. Jam inter inhalationes interdum pulsus frequentia minor fit et cutis antea sicca leni sudore tegitur. Febris haud raro eo modo in melius vertitur, ut subito fere pulsus frequentia normalis exoriatur, calor febrilis desinat aegrotusque salvum se sentiat. Egomet ipse, hanc curandi methodum observandi, occasionem habui et intellexi, inhalationibus chloroformii effectus supra dictos proferri. Sed nescio, an ad omnes pneumonias sanandas sufficiant, quum iis

in casibus, in quibus ipse applicatas vidi, alia simul remedia, ut natron aut kali nitricum, cucurbitulae et venaesectiones in usum vocarentur. Sed constat, ad tollendam dyspnoeam et oppressionem pectoris, aeque ac ad mitigandam tussim, nullum aliud remedium tantum valere tamque praesens esse, quam chloroformium, vi anaesthesiam efficiente jam satis nobis notum.

Num vis antiphlogistica chloroformii inde proficiscatur, quod motus sanguinis in vasis capillaribus pulmonum, relaxatione tunicae mediae vasorum exorta, celerior fiat, an inde, quod motus cordis retardentur, an chemice agat, eo quidem modo, ut chloroformii (quod ex C^2, H, Cl^3, compositum est) Carbogenium et Hydrogenium dissolutione albuminis et fibrini sanguinis cum Oxygenio conjungantur et, commutatione in acidum carbonicum et aquam inde nata, respiratio tardetur et plasma sanguinis minuatur, in suspenso relinquam.

Jamjam, etsi praxi de hac re non sim instructus, nonnulla de methodo directa, quae dicitur, ad pneumoniam curandam locuturus sum.

Rademacher sententiam proposuit, pneumoniam

non, ut eo usque fieri consueverit, diutius impugnando singula morbi stadia et producendo morbum ad crisium effectum esse curandam, sed multo melius sanari posse remediis, quae quam brevissimo tempore (6—7 diebus) impediant, quominus morbus longius progrediatur, quae, ut ita dicam, morbum intercipiant. Tres etiam, quod attinet ad curam, pneumoniae varietates esse dicit. Primam sanari nitro cubico, alteram cupro acetico, tertiam ferro; quarum discrimina autem pendere e genio epidemico et tali quidem modo, ut, si quodam tempore pneumoniae cupro sanabiles existant, eodem tempore omnes pneumoniae (scilicet eodem loco) cupro sanabiles sint etc.

Jam satis cognitum est, medicorum studiis jam prius petitum fuisse, ut morbos a decursu solito intercluderent: Schoenlein et alii ad intercipiendum typhi abdominalis decursum Chlorureti Hydrargyri magnas doses dederunt: nec minus febres intermittentes chinii praeparatis quam celerrime sanantur. Gonorrhoeam incipientem cubebis et injectionibus, e solutione argenti nitrici factis, sanamus, sicut ulcera syphilitica primaria nondum indurata cauteriis delentur et pelluntur.

Merito quidem Rademacher methodum invenire studuit, quae ab aegroto multos dolores, longum aegrotandi tempus, multaque vitae pericula arceat. Sed dubito, an verum sit, quod Rademacher de effectu nitri cubici, cupri acetici et ferri in pneumoniis curandis nobis proposuit, quum numerum aegrotorum, quos sua curandi methodo sanaverit et qui obierint, non indicaverit. Ego de hac methodo nihil adhuc praxi cognovi.

Quod attinet ad genium epidemicum, ex quo curam pneumoniae diversam esse dicit Rademacher, nihil nobis de criteriis aut symptomatibus tradidit, quibus discernantur tres varietates supra dictae, sed usu et experimentis cognoscendum esse perhibet, quibus pneumoniae suo quaeque tempore remediis sanentur. Multi eorum, qui Rademacheri sententiam sunt secuti, symptomata harum varietatum definiendi periculum fecerunt, sed nondum ea invenerunt.

Ex quo sequitur, Rademacheri methodum, profectam quidem e sententia valde laudabili, haud ea imitatione esse dignam, quam multi commendant; equidem, rei quamvis nimis rudis, quam qui de ea judicare

possim, persuasum habeo, meliores esse methodos eas ad curandos morbos, quae ratione et experientia diuturna jam probatae sint, quam novas quasque, a nonnullis velut certissimas commendatas et praedicatas, quamvis interdum efficaces.

VITA.

Natus sum Henricus Struck Borglohii, qui est pagus regni Hannoverani, anno MDCCCXXV patre Henrico, secretario circuli Paderani, quem morte mihi ereptum lugeo, matre e gente Heilmann. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis in schola cathedrali Paderana imbutus, Gymnasium Theodorianum Paderanum, quod tunc temporis directore Ill. Gundolff florebat, adii et per sex annos frequentavi. Prima hujus Gymnasii classe relicta, ad artem pharmaceuticam addiscendam in pharmacopolae C. Aug. Cramer, Paderani, disciplinam me tradidi.

In cujus officina per triennium fere versatus, quum scientiae medicae studio me dare apud animum meum constituissem, hac relicta, Academiam medico-chirurgicam Monasteriensem adii et ab Ill. Busch, qui tunc temporis huic Academiae gloriose praefuit, studiosorum numero sum adscriptus. Ibi studiorum meorum primo semestri examini abiturientium coram collegio regio Monasteriensi satisfeci et testimonio maturitatis munitus sum.

Monasterii per duo semestria versatus hisce interfui scholis:

Ill. Tourtual de anatomia generali et speciali, de arte cadavera secandi; Ill. Schmeding de chemia et physice: Ill. Becks de zoologia et botanice; Exper. Haindorff de physiologia; Doctiss. Bernay de logice.

Post haec, ut militiae sacro officio satisfacerem, legioni peditum decimae quintae, quae tum Bielefeldae castra habuit, sum adscriptus. Ibi quum per annum fere administri medicinalis munere functus essem, benevolentia et studio viri humanissimi Dr. Lange, medici legionarii, beneficium studii gratuiti in Academia medico-chirurgico-militari Berolinensi sum consecutus. Quo beneficio fruens, per biennium in scientiae medicae studia incubui et hisce interfui scholis:

Ill. Werder de psychologia; Ill. Mitscherlich de chemia et pharmacia; Ill. Dove de physice; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Schlemm de osteologia et Splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum, de physiologia et exercitationibus practico-anatomicis; Beat. Hecker de pathologia generali; Exp. Lauer de semiotice et therapia generali; Ill. Mitscherlich de materia medica et remediis excitantibus; Ill. Juengken de chirurgia et vulneribus; Ill. Troschel de fracturis et luxationibus et de arte vincula rite alligandi; Ill. Boehm de akiurgia theoretica et practica; Beat. Schmidt de arte obstetricia; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Exp.

Elsholz de tironum disquisitione; Exp. Simon de morbis syphiliticis; Ill. Casper de medicina forensi.

Scholis clinicis interfui: medicis Ill. Wolff, chirurgicis Ill. Langenbeck, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, syphiliticis Exp. Simon, obstetriciis Beat. Schmidt.

Quibus viris omnibus, illustrissimis honoratissimis, maxime de me meritis, gratias ago et semper habebo maximas.

Examine tum probato mihi medici inferioris in legione peditum Borussica XXIX, postea examinibus chirurgi primae classis absolutis, medici assistentis in eadem legione munus delatum est.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico atque examine rigoroso superatis, spero fero ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Scabiei metastases nego. —
2. Alimentum quod vocamus Arrowroot, infantibus nocet. —
3. Graviditatis ineuntis signa certa non exstant. —
4. Gonorrhoeam morbum syphiliticum esse nego. —
5. Amaurosis non est morbus, sed morbi symptoma. —